



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, De Oratione
Mentali Et Mysteriorvm Vitae D.N. Iesv Christi &
benedictae Matris eius meditatione**

Arias, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1616

Pars I. In qua quibus ad vitæ D.N. Iesv Christi, & gloriosæ Matris eius
mysteriorum meditationem disponi quis possit latius pertractatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48934)



PARS PRIMA.

IN QVA, QVIBVS
AD VITAE D. N. IESV
CHRISTI, ET GLO-
riose MATRIS eius mysterio-
rum meditationem dispo-
nis possit, latiùs per-
tractatur.

CAPVT I.

*De ijs qua remotiùs animam ad ora-
tionem mentalem disponunt ac pra-
parunt, qualia sunt vitiorum, ne-
gotiorum, & nimiorum affectuum
fuga.*



VEMADMODVM in
rebus naturalibus arti-
ficioque humano pera-
gendis necessarium est,
aliquæ vt dispositiones
præcedant, quibus ad formam tum
naturalem, tum artificialem recipi-
endam materia ipsa disponatur: vi-
demus siquidem, vt arbor viridis,
A ignescat

2 FRANC. ARIAS CAP. I.

ignescat & vratur, opus esse, vt omnis prius humor euaporet, & ab ipso igne sæpius penetretur. chalybs quoque vt laboretur, & ensis formam recipiat, necesse est, ante in fornace emolliatur ac ductilis fiat. Ita quoque, vt anima bene orationem peragat, & in eadem ad pietatem concitetur, diuiniq̃ amoris igne succendatur, aliquæ dispositiones & præparaciones spirituales præcurrant oportet, vt per Sapientem

Eccli. 18. monet Spiritus sanctus, *Ante orationem prepara animam tuam.* & hæc licet præparatio in omni orationis genere necessaria sit, in primis tamen ad mentalem, de qua hic agimus, requiritur. nam vt illa sublimissimum & utilissimum orationis genus est, ita & pluribus opus habet adiumentis.

Inter illa porro quibus se anima ad diuinū hoc exercitium præparat, sunt aliquæ, quas dispositiones remotiores vocant, quibus eminus & velut longa manu sese disponit; alię viciniores, quibus propiùs ac vicinùs

I.
vt om-
& ab i-
alybs
is for-
in fo-
t. Ita
onem
tatem
s igne
iones
præ-
entem
ratio-
hæc
ionis
ista-
c agi-
ubli-
ionis
nabet
nima
arat,
es re-
us &
saliq
vici-
nius

DE ORAT. MENTALI. 3

nius se præparat, vel dum ad orân-
dum se componit, vel orare iam in-
cipit. Hic autem de prioribus age-
mus. Quarum prima est vita bona,
& pura conscientia, vt scilicet ho-
mo, etsi vitæ integræ puræque ha-
ctenus haud fuerit, sed insigni ne-
quitia multis se grauibûsque deli-
ctis inquinari, iam tamen per pœ-
nitentiam mundatus, firmum num-
quam eadem committendi propo-
situm cõceperit. Hæc ad orationem
præparatio omnino necessaria est.
nam etsi peccator quamuis com-
missorum pœnitentiam non egerit,
non ideo ab orando desistere debe-
at, sed Deum obsecrare, voluntatem
& auxilium efficax ad peccatis egre-
diendum, deque ijsdem pœnitentiã
agendam, vt concedat; sed Deum o-
ret, & in orando assiduus sit oportet,
ne malum scilicet ingrauescat,
vtque Deus ad ipsum facilis con-
uertatur; constat tamen, malam in-
quinatamque conscientiam maxi-
mum esse ad bene orandum, ac præ-
sertim orationem mentalem impe-
dimen-

4 FRANC. ARIAS CAP. I.
dimentum. Quis enim actuale pec-
candi propositum habens, facile
quidem eleemosynam largiri, ieiu-
nare, flagellis in se sœuire, psalteriũ
& horas canonicas legendo percur-
rere poterit: at intra se ipsum intra-
re, & diuina diutius meditari, qua-
lia sunt, à Deo se dijudicandũ, post
mortem sequi iudicium, & æternam
in peccato letali decedentes dam-
nationem manere; quiq̃ue in crimi-
ne mortali agunt, iuratos Dei ho-
stes, omnipotenti exosos, satana
mancia, & ad perpetuum, pro
præsenti quidem iustitia, coeli exili-
um, æternumq̃ue Tartari carcerem
condemnatos esse; hæc & similia,
quæ orationis mentalis materia
sunt, non facile meditabitur is, qui
in peccato mortali agere voluerit.
nam hæc illi cogitatio grauis est, ac
proinde sancto huic exercitio non
vacabit: sed vel peccati statum, vel
orationem mentalem deseret. Cũ
igitur apertè constet, vtrum horum
homini sit vtilius & compendio-
sius, iuratus is sui ipsius boni non sit
hostis,

DE ORAT. MENTALI. 57

hostis, sed ex animo peccatum deserat, (quod est mortē simul & damnationem æternam deserere) & mundus purusq̄ ie ad orationem accedat, inque eadem perseueret; atque hoc est ad vitam gratiæ peruenire, Dei possessionem adire, & viā ad infinita gloriæ eiusdem bona ducentem ingredi. Hanc ad orationem præparationem postulat Psalmista, *psalm. 36.* .
Subditus esto Domino, præcepta eius seruando, & ora eum.

Alia ad benè orandum sui præparatio est, superfluas curas, occupationes, & prauos erga creaturas affectus præcindere. Eos verò qui Deo seruire statuūt, & planè ipsum peccatum fugiunt, hoc decipere diabolus artificio, & nimirum apparentibus quibusdam titulis persuadere solet, vt rerum nec ad vitæ sustentationem necessariarum, nec animæ utilium, sed quæ aut arrideant, aut ad honorem, aut diuitias temporales comparandas aliquo modo conducant curam suscipiant, de quæ ijsdem sollicitè laborent: vt

A 3

scilicet

6 FRANC. ARIAS CAP. I.

scilicet nimia hac occupatione ac sollicitudine impediti in anima curāda, & exercitijs spiritualibus flaccescant. Quæ ubi euigorata & flaccida fuerit, facilè in euidentia aperta que flagitia propellitur. Pharaon, Israelitas, Deo obsecuturos, Aegypto, ubi captiuitate premebantur, egredi, in deserto, Deo suo in molare victimas, & terrā promissionis petere velle videns, hanc se illorum Deo sacrificandi voluntatem ait impediturum. hinc eos per Aegyptum sparsit, ut paleas & stipulas colligerent, pensumque nihilominus diurnum in lateribus parandis implerent, dixitque: *Vacant, & idcirco vociferantur, dicentes, Eamus & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus, hancque voluntatem exuant.* Hoc inimici nostri, Aegypto mundi huius imperitatis, studium & stratagema, dum homini occupationes & rerum temporalium, quæ non nisi stipula, curas, adauget, ut ipsius in orationem,
in re-

Exod. 5.

I. DE ORAT. MENTALI. 7

inrecollectionem, in quotidianam
Sacri auditionem, & Communio-
nem hebdomadariam, aliaque spiri-
tus exercitia, quibus animam Deo
offert, propensionem studium-
que auferat & euertat; vel saltem,
malè dispositus iisdem & exiguo
cum fructu vacet. Quapropter ani-
mæ oculos aperiamus, & hanc ten-
tationem, quodque hinc promanat
damnum, notemus, & aduersus
eamdem nos omnes carni placen-
tes, spiritui verò noxias conuersa-
tiones & opera repudiando cõmu-
niamus. Occupationes cum diurnas
tum nocturnas examinemus, & quas
non præcisè necessarias, imò nos di-
strahere, & turbare animum obser-
uabimus, re ipsa deseramus: Affectus
erga creaturas, qui cor ad se trahunt
nosque turbant & inquietant, vio-
lenter à nobis rescindamus. Nam
quemadmodum vitis virtus, palmi-
tibus superfluis resectis, collecta
quodammodo in vnum, fortior red-
ditur, amplioremque fert fructum; ita
cordis, quod finitum & limitatum,

A. 4. atten-

S^r FRANC. ARIAS CAP. I.

Ecli. 11.

Cap. 38.

attentio & vigor, vbi superflua minimeque necessaria ab ipso ablata fuerint, liberius, integriusque ad Orationem resque spirituales se componet. Atque hoc multis nos in locis apud Ecclesiasticum monet Spiritus sanctus: *Fili ne in multis sint actus tui.* id est, superfluas noli curas sectari, quæ & vires excedant, minimeque necessariae sint. Alio autem loco ait, *Qui minoratur actu sapientiam percipiet.* hoc est, quicumque inutiles, & minus necessarias occupationes præciderit, quò melius spiritualibus, quibus animæ puritas acquiritur, vacet, qualia sunt Lectio, Oratio, Silentium, & Recollectio, hic lucem & diuinam recipiet sapientiam, qua & perfectius Deum cognoscat, amet & sapiat.

CA-

I. DE ORAT. MENTALI. 9ⁱ

CAP. II.

De alijs qua remotè ad orationem disponunt; quiete scilicet, & insigni aduersus scrupulos & vanos timores robore.

NECESSE quoque ad orationem mentalè debitè riteque peragendam, animum quietare, & aduersus scrupulos vanumque metum communire. Nam sicut orationem impediunt peccata & superfluxe de rebus temporalibus sollicitudines, ita, licet non vsque adeo, eandem turbant scrupuli & nimius metus. Vbi enim quis totus rebus exterioribus occupatur, vt sui immemor sit, scrupulos non sentit, vtpote qui interiorem attentionem requirunt. at vbi ad seipsum ingreditur, & internè se colligit, ea quæ salutis sunt, & intrinsecos animæ motus considerans, vti fieri solet, cùm ad orationem se mentalem applicat; tum demum scrupulos sentit, quamque in anima inquietem & turbationem causentur. Hunc igitur

IO FRANC. ARIAS CAP. II.
timorem, anxietatem, ac molestiam
vt quis fugiat, quæ scilicet natura-
liter fugit, quoddam orationis mé-
talis fastidium concipit, eamque
vel penitus deserit, aut non eo quo
oportet ritu pietateque peragit.
Quapropter vt ipse erga orationem
mentalem conseruetur affectus, &
propensio, quò scilicet libenter &
prout oportet, eidem vacet, animam
egregio aduersus scrupulos & ti-
mores inordinatos robore, quan-
tum per diuinam licuerit gratiam,
paret ac communiat necesse
est.

Vbi seruos suos Deus scrupulis
diuexat, hoc vnum, vt plurimum,
spectat, vt scilicet ex animo egregie
se se humiliet, se ipsos nempe dispi-
ciendo, sibi diffidendo, & omni se
creaturæ propter Deum subijcien-
do. Videns enim homo, re se exi-
gua, quæ si animum egregie commu-
nitum dispositumque aggressa fue-
rit, ipsum nõ turbabit, neu vel pun-
ctum à statu dimouebit, imò negli-
getur ac ridebitur, turbari & in-
quie-

DE ORAT. MENTALI. II

quietari, & illam magnum quid sibi videri, quasi ad æternam ipsum condemnationem pertraheret; statim perspicit, quàm omnes naturales ingenij & virtutis suæ facultates parui sint momenti, quamque Dei ope, in omni re bona tamen vel minima, indigeat: simulque videbit, à se solo aliud quam ignorantiam, infirmitatem, mortem culpæ æternamque perditionem non habere.

Hoc namque à se ipso habet, ut alio *In tracta-* declaratum loco. Ergo rei huius *tu de sui-* veritatem ad oculum ac re ipsa vi- *ipsum dis-* dens, se velut vilissimum quid con- *fidentia* temnit. Tum verò hoc vexatione in *cap. 6* tendit Deus, ut homo, viso quanto *seqq.* pere proximorum ope indigeat, à quibus doceri iuvari que in scrupulis, qui ipsum excruciant, & maximo in discrimine constituunt, possit, ipsos & amet & magni faciat, & caritatem vnionemque, cum vnoquoque conseruet.

Certum igitur Desi, homini iusto scrupulos immittendo, hoc vnū spectare, q̄ in omnibus, & nostrū bonū, & suam.

12 FRANC. ARIAS CAP. II.
& suam quærat gloriam. Aduersus
hos autem vnicum est remedium,
quamprimum, quod à nobis ipse ex-
igit, dare, ex animo nos humilian-
do, proximumque magni faciendo,
neminem vt despiciamus, & vnum-
quemque in veræ caritatis visceri-
bus amplectendo.

Certum autem est hoc nos hu-
militate adepturos remedium; ex
ignorãtia siquidem nascuntur scru-
puli, & tristitiam generant, humi-
libus porrò Deus promisit lumen,
& sapientiam, iuxta illud Salomo-
nis: *Vbi fuerit humilitas, ibi & sapien-*
tia. quin & iisdem veram consola-
tionem pollicitus est; vnde Aposto-
lus, *Qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.* Quasi diceret: Hæc
Dei conditio est, hic gloriosus illius
titulus, Humilium cōsolator. Cùm
igitur humilibus lucem, sapiëntiam,
cōsolationemque suggerat, haud
dubium; quin is ipse & ignoran-
tiã, à qua scrupuli, inquietudo, & in-
anis metus nascuntur, ablaturus sit.
Interim verò dum pia Dei manus
poten-

Prou. 11.

2. Cor. 7.

I. DE ORAT. MENTALI. 13

potenter illos animo non euellit, ne orationem ipsi impediât, damnumque afferant, utque mentis quietem consequatur, & insigne ex ipsis emolumentum trahat, in magistrum directoremque spirituales, prudentem aliquem piumque virum seruus Dei deligat, atque ei in omnibus quæ suggesserit, morem gerat, & credat. Augustinus cum doctrina ingenioque Ecclesie miraculum, & iuxta communem Doctorum sæculi sui opinionem, sapientia omnium facile foret princeps, iam inde ab vltima Africa discipulum suum Orosium ad Hieronymum in Bethlehem misit, qui in rebus illis dubijs consuleret; quin & humiliter confitebatur, Hieronymo se doctrinam cedere, ut his ipse testatur verbis: Etsi Episcopalis in Ecclesia dignitas præstet sacerdotali, maior tamen est Augustino, Hieronymus. *Quasi In Epist. ad Hiero.* diceret, Tametsi dignitate Hieronymo præcellam, quod ego Episcopus, & ipse non nisi presbyter sit, virtute tamen doctrinaque illo sum

14 FRANC. ARIAS CAP. II.

minor. Nec modò Hieronymo simili-
libus vt aliquid ab illis disceret, il-
lorumque de rebus propositis sen-
tentia acquiesceret, se subijciebat,
verum etiam cuique etiam minimo,
vt his ipse testatus est verbis: Licet
Episcopus adedò senex & prouectus
sim, paratus sum nihilominus vel à
puero vel quolibet collega meo, et-
iam vnius anni nouitio, quidquid
ignoro edoceri. Huius viri exem-
plo, is qui scrupulis angitur, & du-
bius est, si in ijsdem à Deo doceri &
illuminari velit, directoris sui spi-
ritualis iudicio acquiescat. Sanè si
sua ipse opinioni proprioque iudi-
cio mordicus non adhæserit, neu-
quæ placent, sibi dici voluerit, at ab
omni passione liber, pura solum ve-
ritatis audiendæ sequendæque in-
tentione ac desiderio auscultarit;
haud dubie à Deo edocebitur, vt iam
suprà alio dictum loco, & infrà la-
tius dicitur. Dei namque est ordina-
tio, vt in hoc vnus se subijciat alteri.
multis quoque declarauit exemplis,
quamuis aliquis in orationibus mi-

rum

*Epist ad
Auxentiū.*

*Tract de
imitatio-
ne BV. In
append. c.
11.*

DE ORAT. MENTALI. 15

rum in modum exurgat & efferue-
scat, vt etiam angelorum conspectu
dignus reddatur, quamuis sæpius
diuque ieiunet, & pœnitentiam in- *Sophron.*
signem subeat, hæc omnia, quò in *in prato*
dubijs plurimis edoceatur, minimè *sp. rit. 6.*
sufficere, quando directorem ha- *199.*
bet spiritualem, quem audiat; sed
in primis opus esse, huic vt se subij-
ciat ac pareat. Ita & in lege veteri
docet Deus dicens; *si difficile & am-* *Deut. 17.*
biguum apud te iudicium esse perspe-
xeris, venies ad sacerdotes Leuitici ge-
neris, & facies quodcunque dixerint
qui presunt loco quem elegerit Domi-
nus, sequerisq; sententiam illorum.
Hodie verò hæc ratio longè ma-
ioris est ponderis, ex quo Deus ho-
mo factus, humanam naturam ita
condecorauit, sacerdotibusque cla-
ues regni coelorum tradidit.

At quòd multi quidem suis in du-
bijs & scrupulis alios cõsulant, nul-
lum tamen leuamen, quietem, auxi-
liumque sentiant; hinc etiam, si post
spiritualis patris consilium scrupu-
lus aut timor non cesserit, aduersus
eun-

61 FRANC. ARIAS CAP. II.
eundem obnitantur scrupulum oportet, firmiter omnibus quæ ille suggererit credendo. Verbi gratia, dubitat aliquis, num præterita confiteri teneatur crimina, quòd eadem se confessum aliàs non recordetur. Directorè suum, quid hic facto opus consulit; non teneri respondet ille. Nondum verò scrupulo abeunte firmiter credat, nec confiteatur & liberè ad sacram Communionem accedat. Dubitat alius, num ob aliquã corporis imbecillitatem vesci illi licitum sit carnibus & solvere ieiunium. Hac super re Patrem spiritua-lem, prudentem, Dei què metuentem consulit. ait hic, ob instantem, quam & suis ipse oculis, & periti medici consilio sufficientem videt necessitatem, ad ieiunium non teneri. si nihilominus dubium & timor maneat, quod ille dixerit credat, soluat ieiunium, carne què vescatur. Etsi verò & tum hoc modo obediendo agendo què aliquem in corde remorsum senserit, aut metuat, num peccet, sibi què dam-

DE ORAT. MENTALI. 17

dānationem accersat; hanc æquo
animo poenam anxietatemque per-
ferat, à diuina illam immissam ma-
nu acceptando: Certum porrò est,
hoc illum pacto nec peccaturum,
nec dānationem incursum, at
purgatorij hoc illi futurum loco,
quò ab omni culpa & poena purga-
tior, diuino sistatur iudicio, citius-
que in coelum euolet. Nec his repu-
gnat hæc Doctorum doctrina, scili-
cet si quis dubitet, num quid pecca-
tum mortale sit nec ne, & antequam
dubitationem omnem exuat, ipsum
committat, mortale crimen com-
mittere: verbi gratia, si quis dubitet,
num hodie ieiunare teneatur, &
mox, nondum deposito dubio, ien-
taculum sumat, letale peccatum
committit, quòd manifesto se & e-
uidenti periculo exponat, quòdque
malit appetitui, quàm Ecclesiæ præ-
cepto satisfacere. Hoc inquam etsi
verum, non repugnat eis quæ dicta
sunt: quòd hæc doctrina, tum locum
habeat, quando quis verè dubitat,
tum quòd non interrogarit eum, qui
verita-

18 FRANC. ARIAS CAP. II.
veritatem declaret, tum quòd à se
ipso, ad veritatem indagandam, nec
scientiam, nec rationem habeat; at-
que ideò meritò culpandus est,
quòd dubitans, rem, non data prius
quam debebat operâ ad dubio e-
mergendum, nihilominus commi-
serit. Diximus autem hominem cùm
in dubijs & scrupulis suis consuluit
eum cui credere par est, vel etiam
non consuluit modò ipse doctus sit,
& sufficientes ad id dotes habeat,
vel alios viros pios sapientes &
prudentes illud de quo ipse dubitat,
sine vlllo peccati scrupulo viderit
facere, ac tum ratione & maturè iu-
dicat, nullum in eo de quo ipse du-
bitabat latere peccatum, & post hoc
iudicium vel opus se illi confor-
mat: hunc inquam dicimus, tametsi
inter operandum omnis eum non
deserat timor; vacillatio, & de scru-
pulo dubium, non peccare. hoc e-
nim non est contra conscientiam,
aut verum dubium, sed aduersus
scrupulos & falsa dubia operari,
quod sancti & docti omnes licitum
esse

DE ORAT. MENTALL. 19

esse afferunt. Ita conscientiam suam *Gerson. de*
quietet homo, quantum cum diuina *præparat.*
potuerit gratia, ne hæc ei tentatio *ad Missam*
tam eminens bonum ac verã conso- *con. 3.*
lationem, qualis est mentalis ora- *D. Anton.*
tio, penitus tollat, vel saltem impe- *p. 1. tit. 3.*
diat: ac caueat, ne illi persuadeat *c. 10 §. 10.*
hostis, quod se à scrupulorum diue-
xatione liberet, bene factum esse, o-
rationem mentalem deserere: ita
namque non sanabitur malum, sed
longè fiet deterius, damnum cre-
scet, & longius ipse à remedio abe-
rit. huius enim mali, vt & aliorum,
vnicum remedium est diuina gratia
& lux, quam non inueniet orationi
se subducendo, sed arctius eidem se
applicando, & in eadem perseue-
rando, iuxta illud psalmographi:

Accedite ad Dominum &
illuminamini.

Psalms. 33p

(?)

CA-

CAP. III.

Alia proponitur ratio, remotius ad orationem animam disponens, ipsa scilicet interior collectio.

VTI seruum Dei, quò benè orationem instituat, necesse est & culpas omnes fugere, & occupationes ac prauos inordinatosque affectus & scrupulos derelinquere, vti iam dixi: ita quoque imprimis opus est, cor ab inutilibus vanisque cogitationibus liberum præstare, & bonis sanctisque ipsum occupare. Tam viuax namque cordis nostri natura est, vt perpetuo continuoque in motu sit, semper aliquid voluens & cogitans: hinc si, laxando habenas libertatemque indulgendo quocunque ferri ipsum permiserimus, confestim terrena cogitat, adque indecentia malaque imaginanda se conuertit: quare bona vt cogitet, operã demus oportet. Cùm autem bonorum omnium optimum ac potissimum sit Deus, de Deo diuinisque vt cogitet satagamus.

I.
do-
psa
o-
sse
&
a-
e-
ue
us
m
m
r-
o
a-
i,
i-
n
a
e
-
.
-
e
.
DE ORAT. MENTALI. 27

mus. Atque hoc demum est recolle-
ctum habere cor, dum scilicet bonis
cogitationibus distinetur, præser-
tim memoriâ Dei, illius semper re-
cordando, ipsumque velut præsen-
tem, aut intrâ nos agentem confide-
rando intuendoque. Et sanè dignissi-
mum & æquissimum est, vt quis me-
minerit amici benefactorisque, iux-
ta id Ecclesiastici consilium: *Non Eccle. 37.*

*obliuiscaris amici tui in animo tuo, &
non immemor sis illius in operibus tuis.*

Si amici, qui aliquando beneficus in
nos fuit, sæpius recordari debemus;
Dei, qui nunquã nõ benefacit nobis,
quiq; singul s tũ diei, tũ noctis mo-
mentis vitam cõseruat, & innumera
partim in corpus, partim in animã
beneficia cõfert, vt sēper perpetuo-
que reminiscamur multo sanè est æ-
quius. Quàm porrò hoc iustũ est, &
iuri naturali, diuino & humano cõ-
forme, Dei semper, aut saltem sæpe-
numero meminisse, vt qui assiduò
nos amet & benefaciat. Vnde nõ in-
scitè Ambrosius, Non satis est, intel-
lectum nostrum Deo occupemus;

*Lib. de hu-
man. di-
gnit. ca. 2.*

ipsum

22 FRANC. ARIAS CAP. III.
ipsum cognoscendo, ei que creden-
do, nisi simul & voluntatem exerce-
amus, qua diligamus: Et ne quidem
duo hæc sufficiunt, nisi simul & me-
moriã, semper & continuò eius-
dem recordantes. Nam vt nullum
est temporis momentum, quo diui-
na bonitate & misericordia homo
non gaudeat; ita nullum sit oportet,
quo Dei sui non reminiscatur, eum-
que ob accepta ab eo beneficia non
recolat.

Dupliciter autem sanctum hoc
memoriã Dei, eiusque semper me-
moriã, vel ante se, vel intra se tenen-
di exercitium vsurpare homo po-
test: primò considerando, Deum, om-
nia quæ creaturæ operantur, per
ipsas operari, omnia ad Deum refe-
rendo, & ab ipso singula recipien-
do. Si quando illi cibus sapit & sa-
tiat, aqua sitim pellit, sol illuminat,
ignis calefacit, & vestis tegit, confi-
deret statim, Deum esse à quo is de-
scendat sapor, qui satiet, qui sitim
restinguat, qui lucem concedat, ca-
lefaciat & tegat. Certum quippe
est,

DE ORAT. MENTALI. 23

est, creaturæ operationem, etsi creaturæ ipsius opus sit, multo tamen sine comparatione, magis proprium id esse opus Dei, qui omnium causarum prima, quam creaturæ, quæ non nisi causa secunda, ac velut ipsius instrumentum.

Si quis viator, opulenti cuiusdam hospitio exceptus esset, & famuli domini iussu, de quæ eiusdem facultatibus, hic illi de veste, ille de cõmeatu viatico quæ, vnus de equo, de pecunia alter prospiceret, quod reliquum itineris perficeret; ac tum quis ab hoc peteret, quis illi hæc omnia dedisset; non ab hoc aut illo seruo sibi data diceret, nec eorum nomina interponeret; verum palàm & publicè testaretur, Talis me vir ac dominus veste donauit, lautè excepit, ac liberalissimè de omnibus mihi prouidit. Ipsæ porrò creaturæ longè amplius à Deo dependent quàm à domino famuli: neque enim bona famulorum dominus curat aut cõseruat, vt Deus, qui creaturas suas assiduò ruetur & conseruat, vt sine diuinæ

24 FRANC. ARIAS CAP. III.

diuinę illius maiestatis nutu ne moueri quidem queant. AEquum igitur est, soli Deo vt attribuamus omnia bona creaturarum opera, & singula quę ab ijsdem beneficia accipimus: consideremus, per illum nos eadem habere, ipsum & corde agnoscendo, & ore cōfitendo. Si proximus verbo aliquo nos salutari est consolatus, si vicinus contulit beneficium, si quod à consanguineo munus accepimus, statim ad causam primam, quę bonam hęc voluntatem ijs dedit, quę- que linguam simul & manus mouit confugientes dicamus, Deus me est consolatus, hoc mihi Deus beneficium contulit, hoc ipse me munere donauit. Ipsum & circa alia, quę à quacumque creatura accipimus bona, faciamus oportet; atq; ita singulę nobis creaturę velut præcones erunt & excitatrices, quę Dei assiduò nobis memoriam refricent, sine vilo eius, quam hominibus ob accepta beneficia debemus, recognitionis præiudicio. Vult enim Deus & illis nos gratias agere.

Alius,

DE ORAT. MENTALI. 25

Alius, quo Deum sibi velut præsentem semper homo habere, & semper eiusdem recordari potest modus, paulò spiritualior est, & meliùs exercitatis, ac Deum non in operibus & effectibus (vti iam diximus) sed in seipso & propria substantia præsentem contemplari valentibus proprius. Cauendum tamen, ne quis illum sibi talis aut talis magnitudinis in imaginatione repræsentet, aliquem illi colorè, aut similes qualitates affingendo. In Deo enim qui corporis expers, purissimus est spiritus, infinitis donatus perfectionibus, nihil est eorum, quæ in creaturis corpore donatis contemplamur. Sed intellectu & memoria intellectuali proponendum menti esse quoddam infinitum, bonitas, pulchritudo inenarrabilis, maiestas & magnitudo spiritualis infinita. Atque vt piscis in medio natans æquore semper aquam intuetur, & quodcumque in latus se vertat, eadem se circumdatum cernit, ita nos intellectus oculo Deum semper nobis

B

quau-

26 FRANC. ARIAS CAP. III.
quantum fieri potest, representemus
eumque continuo videamus & con-
templemur: quamcumque enim
in partem vertamur, semper Deo
cincti sumus, ut qui ubiuis sit, & non
modò exterius, sed etiam intra nos
ipso, intra corpus, & animæ nostræ
substantiam. Hic scilicet Deus nobis
est interior, quã ipsi nobis. Quem-
admodum ergo oculos corporeos
attollimus, quò attentè aliquam
crucifixi Saluatoris imaginem con-
templemur, quam semper præsen-
tem in cubiculo habemus, & viden-
mus, quomodo ipsa vicissim imago
oculos in nos conuersos habeat; ita
quoque oculi animæ, ad Deum sem-
per nobis præsentem contemplan-
dum, & videndum, quo nos ille mo-
do perpetuò consideret, ne momen-
to quidem oculos suos à nobis auer-
tendo, attollendi sunt. Notandum
verò, hunc Dei conspectum & me-
moriã, quod intellectus nostri o-
pus est, affectu & voluntatis deside-
riostipari debere, ut illum præsen-
tem contemplando, ipsum simul
etiam

DE ORAT. MENTALI. 27

etiam desideremus, & familiariter cum ipso agamus, infinitæ eius bonitati vrgentissimas maximasque necessitates nostras proponendo, & humiliter ad easdem tollendas remedia postulando. Neque autem opus est, hic linguã loqui, at ex corde illi dicamus oportet, Quàm me ah Domine segnem & frigidum in te amando comperio, sanctum, obsecro, tuum amorem mihi concede, coelesti amore tuo totum me succende, atque omnem animæ capacitatem diuino amore reple, nihil vt præter te diligam, aut si quid aliud amem, id solum propter te. Ah quã in vero meo bono cognoscendo cæcutio & erro! quàm in eodem sum prosequendo infirmus! In omnibus me voluntatem tuam edoce, & in omnibus & vbiq; eiusdem complendæ robur concede. omnipotenti tua manu me sustenta, ne fortè cadens peream. Ecquando Domine suavi atque arcto perfecti amoris vinculo tibi totus coniar?

Hæc aliaque huiusmodi, prout

B 2

com-

communicare visum Deo, dicat anima oportet, dum Dei se praesentia sistit, idq; ex intimo cordis affectu, accedentibus ingeminatis suspirijs & gemitibus ex profundo cordis prorumpentibus. Si autem sanctum hoc Dei inuocandi intra se exercitium attentè, diligenterque continuerit, similibus affectibus & internis desiderijs eum inde colliget fructum, vt (teste Dionysio Charthufiano) breui animam in melius mutatam, & singularè quendam mundi contemptum, & feruentem erga Deum affectum percepturus sit.

*Lib. 1. con-
temp. mū
di c. 25.*

Quidquid autem hic diximus, clam in animo peragatur oportet, sine vlllo corporis motu aut exterioris vocis signo; at ita, vt quamuis cū hominibus quis agat & loquatur, nemo foris cum Deo illū intus agere percipiat. Idem quoque exercitium omni tempore & loco vsurpari potest, etiam in publicum prodeundo, aut opus aliquod externum agendo, scribendo, legendo, imò & cum alijs loquendo, aut loquentibus aures
accom-

DE ORAT. MENTALI. 29

accommodando. Nam sicut inter-
num est exercitium, & intellectus
noster ac voluntas promptissima, ac
celerrima sit, à nullo exteriori im-
pediri potest, quin sæpius singulis
horis, imò horæ quadrantibus, cor
Deum versus, eo quo dixi modo, su-
stollat. Sanctorum autem omnium
praxis & experientia, qui ubique ac
semper Deum sibi præsentem, ea qua
dixi ratione, imò per actualem quã-
dam unionem, multo excellentio-
rem & mirabiliorem habuere nos
docet, quàm dulce ac facile hocce
Dei gratia redditum sit, & donum
esse, declarat, quod omnibus conce-
dit Deus ex animo ipsum procuran-
tibus. Porro sancto hoc exercitio a-
nima semper recollecta introrsum
est, & si quando orationi vacare de-
bet, cor ritè dispositum, & à distra-
ctionibus liberum reperit, quò cõ-
modè & maximo cum fructu diui-
na meditari & contemplari valeat.
Testis sit magnus Basilius, qui inter-
rogatus quo anima semper collecta
esse possit modo, ne in vanas & inu-

*In regulis
brev. inter-
rogat 306.*

B 3 tiles

riles cogitationes distrahatur; re-
 spondet, si faciat, quod se fecisse te-
 statur Psalmographus, *Quoniam*
miserericordia tua ante oculos meos est,
 & alio loco, *Oculi mei semper ad*
Dominum: Hinc & Abbas Isaac de
 debita ad orationem dispositione
 agens, ait: Quales in oratione esse
 desideramus, tales ante ipsam esse
 studeamus. Docere vult, eam semper
 & ubique mentis nobis pacem &
 internam tranquillitatem procu-
 randam, quam tempore orationis
 sentire cupimus. Quocirca, aiebat
 idem, omnem à nobis curam & ni-
 miam rerum ac negotiorum terre-
 norum sollicitudinem propellamus
 ac verba otiosa, risus & sermones
 vanos fugiamus necesse est. Quid-
 quid enim ante orationem agitatur &
 tractatur animus, illi, dum orationi
 incumbit, obijcitur. Hic scilicet
 verba otiosa in memoriam redeunt,
 & quæ referre pudet; hic risus & lu-
 drica, quæ diximus, aut cum volu-
 ptate audijmus, occurrunt. Quapro-
 pter ante orationem fugienda ea,
 quæ

Psalm 15.

Psalm 24.

Casian

collat 9.

c.2.

DE ORAT. MENTALI. 31

quæ eiusdē tempore sentire aut habere nolumus. Hęc magni illius viri, digna quæ maturè expendantur, & diligenter executioni mandentur, sunt verba. Etsi autem hocce Dei præsentix exercitio, cordisquæ ad ipsum elatione, ritè orandi, vti diximus, gratiam consequamur: non hanc tamen solum hinc fructum colligimus: quippe ad eò dignum, admirabile; eiusquæ est efficacix, succurrente scilicet Dei gratia, vt animam in Dei metu ac reuerentia foueat ac cõseruet. Quomodo enim Deum verebitur, ac colet anima illa quæ perpetuò eum sibi semper præsentem fingit? Quomodo non omnia peccata, etiam minima fugiet is, qui se à Deo semper inspicere cogitat, quò vel benefactis mercedem attribuat, aut quod agat malum, dignis puniat supplicijs? Per hoc autem exercitium fit, vt serui Dei anima semper læta & solatijs plena sit: quippe Deum præsentem contemplan, in ipso non modò aduersus vniuersa mala remedium, sed & quæ

. III.
ur; re-
isse te-
oniam
eos est,
per ad
aac de
itione
ne esse
n esse
mper
m &
rocu-
ionis
ebat
& ni-
erre-
mus
ones
uid-
at &
oni
cet
nt,
lu-
lu-
ro-
ea,
uæ

Serm. 12. optare queat, reperit bona. Nihil si-
 quidem est, inquit S. Dæotheus,
 quod animam ita recreet atque cō-
 soletur, quam perpetua Dei memo-
 ria; ut Psaltes ipse testatur, dicens,
Psal 76. *Memor sui Dei, & delectatus sum.* De
 hoc & reliquis ad sanctum hoc ex-
 ercitiū spectantibus plura dice-
 mus in exercitio de præsentia Dei.
 Notandum autem, ad ordinariam
 hanc recollectionem habendam &
 conferuandam imprimis exercitiū
 huius sancti rosarij conducere: nam
 quotidie quis hæc mysteria recogitans
 facile singulis diei horis &
 momentis illorum recordari, de ijs-
 dem cogitare, & Christum modò in
 hoc vitæ eius, modò in illo passio-
 nis mysterio præsentem poterit in-
 tueri. Et sicut cor, per affectus, de-
 sideria & colloquia ad diuinitatis
 eius præsentiam esse diximus si stol-
 lendam, ipsum & sacratissimam
 eius humanitatem in quopiam
 mysterio præsentem co-
 gitando facere pos-
 sumus.

De alijs quibusdam proximè ad orationem mentalem disponentibus, qualia sunt lectio, & feruens orandi propositum.

INTER ea, quibus proprius se anima ad ritè orandum disponat, primum ac præcipuum est, bonorum librorum lectio. Et sanè maximi momenti ac fructus est, libros legere, bona ac salutaria documenta continentes. Nam per huiusmodi lectionem, idem spiritus & conceptus, quem sanctus huius libri auctor habebat, legenti communicatur: quin & datur spiritus Dei, qui omnis salutaris doctrinæ auctor & inuentor.

Hinc Hieronymus famulum quendam Dei ad sanctarū scripturarum lectionem exhortatur, idque eo studio ac diligentia, numquam ut manibus librum deponat. *Epistol. ad Nepotian.*

Inter alios, qui è lectione sequuntur fructus, is est maximè singularis; per eam scilicet, animam ad orationem,

34 FRANC. ARIAS CAP. IV.
nem, quod opus ipsa lectione longè
dignius præparari. Alij præparant
se, legendo ea quæ dein meditanda
sunt. qui autem materiæ in medita-
tione decurrendæ probè memor est,
huiusmodi lectione minimè opus
habet: at si eiusdem ritè non memi-
nerit, ipsam ante legat oportet, quâ
ad orandum se componat. Si manè
orationi incumbendum, vesperi
præcedenti mysterium meditandum,
legat & memoriæ mandet; vt exper-
rectus eiusdem quamprimum me-
minerit, alias omnes cogitationes
excludens. Si verò alia diei aut no-
ctis hora orandum, semel ad mini-
mum meditationis puncta paulò
ante horam assignatam relegat; ita
tamè, ne plurima simul legat: vnum
namq; mysterium, imo & punctum,
sufficere queat, modò rectè intelli-
gatur.

Quare id in auctore, qui clarè &
apertè ipsum deducat, legendum est.
Si quis enim ad orandum non præ-
parata ante materia accedat, quam-
diu ipsam meditationis materiam
quærit,

DE ORAT. MENTALI. 35
querit, aut è plurimis occurrenti-
bus vnam quæ maximè arrideat, se-
ligit, tempus orationi destinatum
paulatim transit, & potissima fru-
ctus colligendi pars perit.

Præter hanc rationem, quæ ordi-
naria & communis, alia est singula-
ris, qua quis ad se per lectionem ali-
quam, priusquam meditationem
auspicetur, disponere tenetur. scili-
cet, vbi quis negotio aliquo, occu-
patione, aut praua passione distra-
ctus fuit, consultum fuerit, antequam
diuina meditetur mysteria, aliquid è
spirituali pioq; libro legere, quales
sunt vita alicuius Sancti, aliquid è li-
bello de mundi contèptu, aut Ludo-
uici Granatensis operibus caput, aut
alius pietatem spirans libellus, idq;
modestè ac tractim, lecta ruminan-
do, & aliquem ad animæ salutem
inde fructum eliciendo. Ita namque
paulatim ad quietem se mens com-
ponet, ac serenabitur, vt maiori post
meditationem dispositione perage-
re possit. Nam si corde distracto ac
turbato se ad orandum compone-

*S. Bonau.
specul. dif-
cipl. c. 13.*

36 FRANC. ARIAS CAP. IV.
ret, non nisi difficillimè eidem se &
cogitationem applicare possit : ac
ante lectione ad eandem præpara-
tus, facilius ac suavius orationi in-
cumbet, & citius in eadem quie-
tem inueniet.

Aliud quo propiùs ad orationem
se disponere anima debet, est, desi-
derium ac virilis aliquem ad bene
orandum, fructumque inde collig-
endum, laborem subeundi resolu-
tio. Nam tametsi Deo in oratione a-
liquem deuotionis sensum immit-
tente, orans nullam in eadem diffi-
cultatem aut molestiam, sed suauit-
atem miram persentiat, quæ ali-
quando diu duret, interdum tamen
fit, vt aliquam in eadem difficulta-
tem ac molestiam experiamur. Cùm
enim natura humana ad eò per pec-
catum deprauata sit, intellectus le-
uis & inconstans, imaginatio mo-
bilis, & ad huc illucq; volitandum,
prout eam passio impellit, aut ob-
iectum se repræsentans rapit prona,
hinc ex se difficillimum est, ac non-
nisi summo cum labore cõiunctum

DE ORAT. MENTALI. 37

vni cogitationem rei affigere, & in ea, donec voluntas permoueatur, retinere.

Huic quoque difficultati naturali sæpe se astus & versutia Satanæ immiscet, dum varijs tribulationibus, occurrentem difficultatem maiorem quàm reuera sit, repræsentat. Quare nisi se ad orandum componens, viriliter secum statuat, aliquã propter Deum contentionem & studium adhibere, ac laborare, ingruente difficultate, facilè consternabitur, ab oratione desistet, & quod lucratus esset perseverando bonum, amittet. Quapropter virili ac generoso aliquem laborem sustinendi, & in meditatione diuinorum etiam, quocumq; occurrente impedimento, perseverandi proposito armatus, huic se dedat oportet. Si enim nullum absque labore ac sudore, bonum (vt dicitur) haberi queat, & si maxima quæque laboris pretio comparanda sint, mirari nemo debet, si oratio, quæ res adeò eximia, & ad rarissima quæque & lectissima

hoc

38 FRANC. ARIAS CAP. IV.
hoc & in futuro seculo paranda bona, peridonea est, aliquem laborem requirat; & si homo, qui ad bona temporalia, à quibus ad æternam abripitur mortem, comparanda tantopere sudat, totisque viribus connititur exiguum laborem ac difficultatem orationis, quæ coelæste quid est, nosque ad vitã & gloriam termino carente perducit, causã, suscipiat. Præsertim cum qui ob orationem assumuntur labores & difficultates, fructus semper animæ maximè salutare producant, & interdum adeò quidem suaues & solatio plenos, vt breuissimo tempore omnem quam abundantissimè laborem qui multis horis, forsan & annis impensus est, remunerentur. Et sanè æquissimum est rationique maximè consentaneum, Dei seruum ad sanctum hoc se exercitium disponere, concepto pro Dei nomine aliquid laboriosum aggrediendi desiderio, & Spiritui sancto per Prophetam monenti auscultando, dum ait, *spera in Deo, viriliter age, non dando locum*

IV.
da bo
borem
d bona
ernam
a tan-
s con-
diffi-
el este
riam
â, su-
ora-
diffi-
ma-
ter-
atio
om-
rem
im-
è æ-
mè
an-
re,
uid
io,
am
be-
do
m

DE ORAT. MENTALI. 39
locum pusillanimitati aut tepori, &
sustine Dominum.

CAP. V.

*De alijs rebus que proximè orationi
conducunt, qualia sunt locus, de quo
iam agemus, & tempus, & reue-
rentia exterior, de quibus postea.*

AGBENTES de primo reci-
tandi rosarij modo, qui ora-
tione vocali peragitur, non-
nulla de loco & tempore ad eamde
peragendam idoneis seligendis, &
quâ eadem reuerentiâ & attentione
instituenda sit diximus, at quoniam
hæc non minus orationi mentali
necessaria sunt quin imo magis et-
iam particulariter, idque ob alias
rationes prægnantiores, nunc de ijs
magis exactè loquemur. Primum
itaque, ad orationem mentalem be-
nè instituendâ, cõuenientissimû est,
seligere locum eidem inprimis ido-
neum, angustum scilicet cubiculum
aut facellum domesticum, aut sub-
urbanum, in quod se quietè quis sine
impe-

impedimento mysteria diuina me-
ditaturus abdat. Qui cum amico de
aliquo magni momenti quodque
placeat, negotio agere voluerit, ab
alijs eum hominibus sequestrat, ad
agros deducit, aut eidem secum co-
clauui includit, vbi nemo sermonem
impediat aut interrumpat. Oratio
familiaris animæ cum Deo collo-
quium est, in quo de maximi ponde-
ris negotio, quodque maximè dele-
ctet animam agitur; quare vt atten-
ta sit, vtque eam nemo impediat, o-
mni quo potest studio allaboret vt
locum secretum diligat. Ita nos id
Matth. 6. edocet Christus dicens: *Tu autem
cum oraueris, intra in cubiculum tuum,
& clauso ostio ora Patrem tuum in
abscondito.* Suo quoque nos id exēplo
edocuit, cum ad vsque annum tri-
cesimum solus domi egit clausus, &
Evangelij prædicationem auspica-
turus in desertum se cōtulit, & qua-
draginta ipsis diebus in solitudine
orationi vacauit. Quin etiam post-
quam docendo miraculaque eden-
do, opus nostræ Redemptionis ope-
rari

DE ORAT. MENTALI. 41
rari coepit, sæpenumero de nocte,
tum hortum, tum montem perijt, ab
Apostolis sequestratus, solusque o-
rationi ibi vacauit, & noctes inte-
gras vigil eidem tacitus impendit.
Tandem etiam cùm in horto supre-
mum oraret, à tribus se remouit A-
postolis quantum iactus est lapidis.
Certum est autem, Christum, ad at-
tentius orandum, in humanitate sua *Marc. 6.*
sacratissima solitudine opus non *Luc. 22.*
habuisse, cùm nihil ipsum impedire
posset, sed docere voluit, quam no-
bis sit secretum ac quietum cum at-
tentione maiori & affectu orandum
seligere locum necesse. locum autẽ
orationi idoneum imprimis requi-
ri, certissimum est, cùm suo nos
Dominus exemplo, tot in deserto
diebus, tot in montibus agens no-
ctibus id docere voluerit. Hinc Gre-
gorius Nazianzenus: Præclara & *Orat. de*
pulchra est solitudo ac quies ad o- *fonenda*
randum & cum Deo agendum. De- *paupertate.*
monstrat id mihi mons Carmelus,
in quo orauit Elias, & solitudo in
qua Ioannes Baptista commoratus
est

est & orauit; mons quoque quem sepius Christus Iesus, secum ipse locuturus petijt, is enim ipse, qui

In Apolo.

homo orabat, verè erat Deus quem orabat. Alio autem loco idem Doctor ait: Quandoquidem licuerit solitudinem deligo, eamque mihi soliciam adopto; hæc enim mihi vera quædam mater est, quæ mihi, quò mentem ad Deum sustollam, eiusque diuinitatis participem, auxilio est.

*De com-
parat regis
& mona-
chi.*

Eadem luce illustratus Chrysof. solitudinè, quæ sc. melius orandi causa deligitur, etiam in hac vita iustos ait bonis spiritualibus satiari, eisque gratiã impetrare, quò læti hilaresque hac egrediètes, Dei tribunali sistantur

Tametsi autem omnium minimè sit vitam solitariã eligere, sed paucissimorum; locum tamè solitarium ad secretò cum Deo diebus aliquot agendum, idque orationis tempore, de quo hic agimus, seligere, omniũ est. Ita fecere sancti illi Archiepiscopi Gregorius & Chrysofomus, innumerique alij prælati & antistites, vti post videbimus; qui tametsi gra-

DE ORAT. MENTALI. 43

grauissimis maximeque necessarijs
rebus in Dei Ecclesia occuparentur,
ad tempus tamen ijsdem se expedire
nouerāt, quò in solitudine soli Deo
vacarēt, & spiritū quodammodo re-
sumerent, vt suo dein melius officio
ac munere fungerentur. In Sacris
litteris varia huiusce rei exempla
reperire est. Isaac in agro versaba-
tur, appellente è Mesopotamia spō-
sa Rebecca, aitque Scriptura, illum *Gen. 24.*
vespere ad meditandum egressum
esse, id est, (vt quidem Hieronymus,
alijque interpretes exponunt, & He- *Dionys.*
bræi ipsi affirmant) solitudinem ad *Carthuf.*
orandū resq; diuinas quietiūs con- *ibid.*
tēplandas petiuisse. Iacob ad pater- *Gen. 32.*
nam cū vxoribus, filijs & vniuersa
familia domum rediens, greges oēs
& comites Iordane traiecto, præmi-
sit, & solus ipse in agro oratur⁹, me-
ditaturusq; cęlestia, mansit: atq; hic
missus ad eū visitandū angelus, qui
nomē illi Israelis, Iacobi loco, im-
poluit. Sara puella, quæ Tobix iu- *Tob. 3.*
nioris dein vxor fuit, dicitur con-
clauē secretum & sublime, quod in
eum

eum vsum domierat, conscendisse
& triduo ibi inclusa orationi medi-
tationique vacasse. Tradit item sa-

Iudit. 8 9
Ab. 10.

fra Scriptura, Iudith viduam, in
summo domus fastigio secretum ha-
buisse velut oratorium, in quod se
oratura abdebat. Apostolum Petrum
refert Lucas, dum quadam in domo
hospitaretur, circa meridiem, im-
pransum ad orationem se contulisse,
& eadem de causa coelue, quod
in domo erat superioribus petiisse,
ibi se adorandum composuisse, &
coelitus visitatum fuisse. In hoc igitur
semper veri Dei serui sedulo in-
cubere, ut si quo modo fieri pote-
rat, solitarium & quietum ad oran-
dum locum captarent.

Vbi igitur similem in locum se
abdiderit homo, si vocalem fundere
orationem voluerit, parum refert,
locusne lumen habeat, aut obscurus
sit. At si mentalem instituere & me-
ditari diuina voluerit, de quo hic
potissimum agimus, in tenebris illum
agere, omni lumine secluso satius
fuerit. Si de nocte orare decreuerit,
tem-

DE ORAT. MENTALI. 45

tempus ipsum caliginosum nulla alia adhibita diligentia, extincta dumtaxat candela, maximè rei huic proprium est. Sin verò interdiu quodam in cubiculo oret, fenestras & ianuas omnes claudat oportet. Si in agro locoque patulo, qui occludi nequit, conetur, cum id commodè fieri possit, oculos claudere, aut vultum saltem velo aliquo tegere; si nec id fieri commodè potuerit, internam saltem attentionem habere studeat, nec in hanc illamue in partem oculis vagetur.

Permagni verò ad orationem mentalem refert, in tenebris agere; commodè autem ipsum intelligi nequit, nisi re ipsa quis sit expertus: tamen si id ipsa satis conuincat ratio, cum ad orationem mentalem maxima opus sit attentione, atque ut anima introrsum penitus collecta sit. Si ergo in lumine quis oret, in singula obiecta oculos coniecit, atque ita multum interiori attentioni, quæ visu dispergitur ac perditur, deccedit. Adhæc sicut gratuitum donum
Dei

46 FRANC. ARIAS CAP. V.

Dei est, ritè orationem peragere, hinc si quem ipse viderit, quò melius oret ac mysteria sua meditetur, exteriori se lumini & visus solatio priuare eius loco, multo melius internam animæ lucem, ad contemplanda diuina, voluptatem quamdam & interiorē bonæ orationis consolationem tribuit.

Lib. 4. c. 4 Hinc præclarè Simon de Lassa de nocturnis loquens vigilijs: Et si solatio sit solis lumen, & eius adminiculo omnium creaturarum ornatū intueri; multò tamen melius est, quando quis de nocte exsurgit, vt in oratione vigilet, mentis oculis lucem diuinam, & regis cœlestis substantiarumq; supernarum pulchritudinem intueri. Hinc satius ait esse, vt qui orat, in tenebris agat; nam tenebræ corporales spirituales lucē nobis afferunt. Ita namque fit, vt maiori luce & claritate interna, ac maiori quiete, se ipse quis videat, & legem diuinam contempletur. In huius rei confirmationem notat, vnam è præcipuis, ob quas diuina sapien-

DE ORAT. MENTALI. 47

pietia voluit, vt Christo pro nobis
patiente, in meridie, sol obscuratus
sit, & vniuersam terræ faciem texe-
rint trium horarum tenebræ, causis
fuisse, vt scilicet homines, in hac ca-
ligrine agentes, nec huc illucque sen-
sibus diuagari valentes, in se ipsos
ingredientes, & in interiori se ani-
mæ colligentes, mysterij quod tum
in terra agebatur magnitudinem
considerarent; ac qui tum Ierosoly-
mis versabantur, innocentiam pa-
tientis Redemptoris agnoscerent,
& miraculorum sanctorumque o-
perum, quæ ipsum patrantem vide-
rant, memoriã refrigerarent. Et sanè
plurimi illorum hoc modo permoti
sunt, & ad urbem compuncto corde
mœrentes, commissa plangentes, in-
que contritionis argumentum pe-
ctora tundentes rediere. Hunc item
solis defectum fieri voluit Deus, vt
qui illum in varijs mundi partibus
intuebantur, magnum aliquod in
terra miraculum fieri agnoscerent,
& vt postea Euangelij prædicatio-
nem audientes, meminissent, hoc
esse

*Epist. II.
ad Apollo-
phanem.*

esse illud miraculum, quod in tenebris iam ante meridianis annotassent itaque facilius ad fidem converterentur, uti Divo Dionysio Areopagita, aliisque, qui huius occasione ad Christum transiere, contigit.

Hoc item nos docuit Christus Dominus, quod non modo montes orationis causa peteret, sed noctem ad hoc potissimum deligeret, ac nocturnas tenebras & quietem, pro nostra orando salute, nobis ad exemplum, traduceret. Elias item Propheta in monte Carmelo interdum ad orandum se composuit, quando scilicet interiori orationis affectu pluviam à Deo petijt; sed ait scriptus, in terram illum se prostravisse, caputque dimissum inter genua declinasse. Idem in monte Oreb orans, ac visitationem supremam exspectans, suo vultum pallio cooperuisse dicitur. Quid sibi vult Propheta, modo faciem intra genua dimittens, modo pallio eandem, dum orationi vacare vult, velans? Hoc scilicet artificio (ut loci huius dicunt

3. Reg. 18.

3. Reg. 19.

DE ORAT. MENTALI. 49

cunt interpret) vsus est, vt vultu te- *Lyranus*
cto, oculisque clausis, orationi in- *ibidem.*
ternæ mentalique quam faciebat, *Dionysius*
maiori attentione & affectu vaca- *Carth.*
ret. Hinc & sancti omnes, qui in mé-
tali se oratione exercuere, noctur-
nas semper tenebras cōlectati sunt,
aut interdiu loca secreta & clausa
adire, in quibus solares radij rerum
coelestium contemplationem mini-
mè impedirent. Propterea etiam D. *Collat 9.*
Antonius, referente Cassiano, cum *c. 30.*
totas noctes orando traduxisset, ad-
uentante luce, cum sole expostula-
bat, quòd lumine illo exteriori, quo
oculi corporei illustrabantur, in-
teriolem animæ contemplationem
impediret.

CAPVT VI.

*Quale tempus Orationi mentali ap-
tū eligendum sit?*

Loco recollecto & secreto
selecto, tempus item orationi
peragenda oportunū deli- *D Th in*
gendū est. Nam etsi omne tempus *1. Tim. 2.*
ad breues quasdam orationes emit- *lect. 1.*
tendas,
C

50 FRANC. ARIAS CAP. VI.
tendas, & animam ad Deum sustol-
lendam proprium sit; & omni hora
ac momento hoc modo Deum ani-
ma orare conari debeat; tamen ad
orationi mentali expressè & data
opera, & quidem proluxa & conti-
nuæ vacandum, omne tempus mini-
mè aptum est; sed aliquod idoneum
feligendum. Porro huic diui-
no exercitio maximè proprium

Bonauent. est, vt benè D. Bonauentura notat,
in spec. di- omne id spatium quod à noctis con-
scipli. c. 12. tincinio ad auroram vsque intercur-
rit. Qui potuerit, ex toto illo tem-
pore, horam in qua meditetur, deli-
gat; omnium autem illa est commo-
dissima, quæ auroram præcedit.
Hanc in rem opus est, & sobriè co-
medere, & ea cubitum hora conce-
dere, vt post sufficientem somnum
ante auroram surgere queat.

Si quando Deus sanctos suos vi-
sitare vult, & sua illis arcana com-
municare, vt plurimum noctis tem-
pus eligere solet. Hoc tempore A-
brahamum cōpellauit, dum filium
illum immolare iubet; Samuelem
quo-

VI. DE ORAT. MENTALI. 51

quoque, quando in templo sua illi
arcana reuelauit; Deiparam item (vt *Luc. x.*
cōmunior habet sententia) quando
Archangelum Gabrielem ad illam *Matth. 2.*
è cœlo destinauit; Iosephum item
eiusdem coniugem, cùm illi in AE- *Ibid.*
gyptum proficisci suasis; Magos de-
nique, dum eosdem monuit, ne ad
Herodem redirent. Has aliasque re-
uelationes interiores noctu ple-
rumque Deus immittere solet, vt *Ierem. 25.*
docet Ieremias. Certissimum id si-
gnum est, tempus hoc esse ad cum
Deo conuersandum, meditandum-
que cœlestia aptissimum. Tunc enim
anima, adiuuante caligine, in alto
noctis silentio, & omnium anima-
lium quiete, recollectior est, & in-
terioribus intentior. Atque ita se te-
statur Dauid, de nocte & summo
mane ad orandum & laudandum
Deum surrexisse. Idem se fecisse cō- *Psal. 118.*
fitemur Isaias: *Anima mea te desidera-*
uit de nocte, id est, De te cōtemplan- *Isai. 16.*
do, sancto amore ac desiderio tui
incendebatur. Ad hoc fidelē animā
adhortatur Ieremias: *Cōsurge lauda* *Thren. 2.*

C 2 in no-

in nocte, in principio vigiliarū: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, tuasque illi necessitates representa, & ex toto corde tuo aduersus easdem remedium omni contentione deposce. At tamen tempus hoc maximè ad orationem mentalem idoneum sit, qui tamen certas ob causas hoc seligere sibi nō potuerit aliquas mane, aut circa vesperam horas capiat; & quo illa hora auroræ aut nocti instanti vicinior fuerit, eo & melior. quo enim erit matutiniior, eo mens futura liberior; quo etiam serior, eo tamen prandio meridiano impeditior.

Circa tempus hoc meditationis declarandum etiam, quantum temporis spatium singulis de Diuinis mysterijs meditationibus insumendum sit. In quo nulla certa præscribi regula potest, quæ omnibus communis sit; quod vnus maiorem alio ad sanctum hoc exercitium habeat oportunitatem & commoditatem. At distinguendo dico, eos quibus otium est, & optima corporis valetudo,

. VI.
: effun-
conspice-
cellica-
de tuo
omni
ameti
ionem
tamen
sibi no
cave
la ho-
cinior
n erit
libe-
ainis
tionis
tem-
uinis
men-
scri-
com-
o alio
beat
tem,
ibus
ale-
do,

DE ORAT. MENTALI. 33
tudo, saltem vnam quotidie horam
sancto huic operi impendere debe-
re. Si verò exterioribus negotijs im-
pediti, horam integram insumere
nequeant, media saltem occupen-
tur.

Nam si sufficientem animum aut
tempus ad cibandam animam, ac
coelesti hoc alimento reficiendam
non habeant; paulùm tamen ex eo-
dem gustent oportet, ne incompa-
rabili hoc bono, quale est diuina
mysteria percipere, & clarè admo-
dum ac quietè eadem cognoscere, &
quanti sit redemptionis nostræ opus
momenti ritè debiteque perpende-
re, (qui verus meditationis fructus
est) omnino frustrentur. Insuper
notandum, illos, qui copiosius de
pretiosissimis sancti huius exercitij
fructibus participare, inque eiusdè
intima penetrare, & magna gratiæ
luce diuina mysteria videre volue-
rint, etiam plura præstare, nec satis
illis esse debere, vnam meditationi
quotidie horam, at interdum duas
aut tres etiam, impendere. Quæ licet

C 3 inter-

34 FRANC. ARIAS CAP. VI
interrumpi queant, ut aliquod in-
ipsas tēpus intercurrat; ac si firmo
ri sint corpore, & gratiam à Deo
hoc acceperint, satius fuerit duabu
per diem iunctim horis attentè ho-
rum mysteriorum meditationi va-
care. Quoniam verò hoc minimè
ordinarium est, nisi fortè aliquibus
diebus & temporibus, hinc plures
ipsum magna cum facilitate execu-
poterūt. Exēplis porro & experien-
tia sanctorum virorum constat, cō-
tinua hac & perseveranti oratione,
multa à Deo creatore beneficia bo-
naq; orantibus concedi solere. *Vt. n.*
ij qui aquę venam quærentes terram
effodiunt, sæpe frustra sunt; qui si
paulò profundius effoderēt, & for-
san tantum bis lignem solo inde-
rent, in copiosam aquæ dulcis &
lympidæ inciderent scaturiginem,
sed quod in medio defatigati opere
laborem interrumpant, omnem o-
peram & oleum perdunt, nec aquam
quã quærebant reperiunt. Ita & plu-
rimis sancto huic se exercitio danti-
bus contingit, qui si diutius insigni
cum

DE ORAT. MENTALI. 55

cum constantia in eadem perseverarent, plura & suaviora diuinæ gratiæ dona reciperent; quæ, quod minimè perseveret, negare solet Deus. Boni quidem operis sui fructum & meritum, quod longè est amplissimum, non amittunt; at particularia nouæ lucis & roboris dona, & magis viuendum rerum diuinarum affectum, aliosque fauores, quibus anima renouatur, & in pietate omni-genaque virtute mirificè crescit, sæpenu-mero perdunt, quòd in orando diutiùs non perseverent. Nam vt sunt dona gratis à Deo dari, nullo hominis præcedente merito, solita, plerumque illa dabit ijs, qui maiori cum humilitate & cõtentione, diu-tiusque in oratione perseverauerint. Hinc Bernardus: Sæpius, in- *Serm 9. in*
quit, (vt norunt qui experti sunt) *Cantic.*
tepido & sicco corde ad orandum accedimus, in qua si contētiosè stu-diosèque persistamus, statim à diui-na gratia, quæ hic nobis infunditur, quæque pectus & animæ viscera, id est, intellectum & voluntatem, pie-

tate & caritate replet, visitamur.
 Quanti autem referat, & quantam
 utilitatem adferat, interdum diu-
 us in meditatione perseverare, e-
 gregiè docet doctissimus Gerson,
 dicens: Longo tempore vno in lo-
 co fixus mane, orationem tuam cõ-
 tinuans; vnaque hora transacta &
 aliam eidem impendere statue, di-
 uinæ gratiæ eleemosynā expectans,
 atque ita fiet vt vltima hora maio-
 rem sis fructum inde, quàm ex omni
 tempore præterito, collecturus. Si
 nec tunc postulata obtineas, non
 propterea cruciari, aut animum de-
 spondere, sed iusta cum patientia,
 humilia te, & confitere iustè tecum
 agi, & indignum te esse qui maiora
 bona recipias, ac tū hãc Deo mole-
 stiam, laborem & operam quam im-
 pendisti, offero. Itaq; Deū tibi red-
 des beneuolum, illiusque miseri-
 cordiam & clementiam prouoca-
 cabis, vt quæ postulas, quæque magis
 tibi conueniunt, concedat.

Erunt fortè nonnulli, quibus cū
 Deus pulchritudinem, & pretium
 huius

p. 3. de
 mente cõ-
 temp. c. 43

DE ORAT. MENTALI. 57

huius thesauri, qui in oratione mentali reperitur, declarare cœperit, satis non erit tempus quod orationi præscriptimus, sed diutius eidem vacare, quin & integras dare noctes volent. Hosce prudentium & huius exercitij peritorum confessoriorum iudicio remittimus: Erunt enim nonnulli, qui id ipsum magno cum fructu ac sine vlllo valetudinis detrimento facere poterunt. Alijs verò cum ob corporis animique indispositionem, tum ob muneris obligationem & occupationes, necesse erit, temporis aliquod spatium & piorum affectuum moderamē præscribere. Certum ergo est, si ad Dei gloriam & animarum salutem dirigere sincerè voluerint, & confessorio singula aperiendo, & sincere illi obediendo, Deum, quid potissimum faciendum fuerit, illius operâ, declaraturum.

C 5

CA-

Varijs exemplis Sanctorum, ea qua de loco & tempore meditationis diximus, confirmantur.

QUOD locū & tempus orationi idonea seligere permagni referat, quæ hæcenus diximus primarijs aliquot exemplis Sanctorum confirmabimus. Non referam hic sanctos illos Monachos & Anachoretas Thebaidis, ac Nitriæ, in quibus claruere Moyſes & Benjamin; nō Scythicæ regionis, in qua floruit magnus Iſidorus cum alijs infinitis; non superioris & inferioris eremi Aegypti incolas, inter quos viguere Macarij; non monachos montis Sina, Pharan & Iordanis, non primæ & secundæ Palæſtina; neu vniuerſæ Syriæ, aut alios innumeros, quos Græcia & aliæ mundi partes habuere. Tametsi euidentis sit ad probandum ea quæ volumus argumentum, cum tot eximios & illustres viros, Spiritu sancto plenos, quò commodum locum, & re-

TUM

*Ruf. hist.
Ecclef.
Euseb. lib.
11. c. 18.*

*Concil.
Constantin. I I.
August.
de moribus Eccle.
sæ,*

VII DE ORAT. MENTALI. 59

rum diuinarum meditationi tempus oportu-
num haberent, vrbes & stre-
pitum popularem deseruisse, simul
& ab hominum etiam carissimorum
commercio & conuersatione se se-
questrasse, commoda solatiaq; cor-
poris, erga quæ illi naturalem incli-
nationem non minus ac reliqui ho-
minum habebant, deliquisse videa-
mus. quorum aliqui in incultas soli-
tudes & deserta, alij in monaste-
ria, quæ siluis continebantur; alij in
montes & speluncas concessere, in
quibus totum sine vllis delicijs, aut
hominum solatio vitam traduce-
bant, vt taceam acerrimas hiemis
iniurias, æstatis ardores quos susti-
nuere, super nudam reclinati, sine
tecto, sine domo, sine vlllo vestis te-
gmine somnum captantes, siluestres
herbas, arborum fructus, & velut
delicias frustum aliquod panis
comedendo: itaque omnia solatia
fugiebant, atque ita corpora afflige-
bant, quò locum ac tempus idoneū,
quò se purissimæ Dei eiusque operū
& mysteriorum contemplationi
darent,

10 FRANC. ARIAS CAP. VII.
darent, captarent: atque hoc prima-
rium erat exercitium cui noctu &
interdiu vacabant. Huius autem no-
bilissimi exercitij adminiculo tan-
tam coelitus lucem, tantam sancti-
moniam, ac vitæ puritatem, tantam
deuotionē & diuinū solatium nati
sunt, vt animæ quoad lucē & puri-
tatē soles quidā spirituales, & mori-
bus sanctissimis angeli quidā in mor-
talibus corporibus viderentur. Essi
autē hæc exēpla multū cōducant, vt
laborē aliquē & cōtentionē adhibe-
amus, vt quotidie, si modò velimus,
vnā aut duas horas, & quotannis, si
lubeat, septimanā vnā atq; alteram
continuo sancto huic exercitio de-
mus, cū viri illi sanctissimi à Deo in-
spirati, tantum laborem insumpse-
rint, quo totam illi vitam dicarent,
ac somnum oculis, quietem corpo-
ribus, quò tota in oratione nocte
excubarent, negarint. At quoniam
cum homines rebus vitæ huius ac
sæculi, & sui suorumque sustenta-
tione occupati, tum & illi qui pub-
licis officijs & animarum cura de-
tinen-

DE ORAT. MENTALI. 61
tinentur, horum monachorum se
exemplo tueri possent, dicentes,
hos alia occupatione impeditos nō
fuisse qua à suauissima hac cum Deo
communicatione auocarentur, at se
grauissimas & prægantissimas ha-
bere occupationes: hinc horum ex-
empla seponentes, alios in medium
producemus viros, qui ratione sta-
tus & officiorum maxima & conti-
nua impedimenta, atque occupa-
tiones prægantissimas, & rebus pu-
blicis & Ecclesiæ Christianæ maxi-
mè necessarias habebāt, quales sunt
Episcopi & Ecclesiæ Prælati, Prin-
cipes, & Domini sæculares; qui à
Spiritu sancto edocti, sanctum hoc
exercitium, ad Dei cultum & glo-
riam maximè spectare, tantiq; mo-
menti, & animabus maximè utile
videntes, optimum esse iudicabant,
aliquot diei ac noctis horas à gra-
uissimis hisce occupationibus ces-
sare, & aliquoties per annum ad ali-
quot dies eas penitus, quò orationi
& rerum diuinarum contemplatio-
ni sedulò incumberent, seponere.

62 FRANC. ARIAS CAP. VII.

Dum crederent, nullum se hoc pacto Ecclesiae suae aut rebus publicis molestiam, aut damnum, imò maximam utilitatem asserere. hoc pacto namque se officio aptiores redderant, suisque in operibus & verbis maiorem efficaciam ad muneri suo satisfaciendum adipiscebantur, itaque magis & particularius in eo Deo dirigebantur, quò animabus, quibus praeerant, magis prodesse. Nec satis erat, accepta coelitus luciditate ita esse intelligere, nisi & quotidie experientia, ac re ipsa comperissent, omnem in se, si huic exercitio non satisfacerent, & vigorem & robur ad ea quae officij sui erant implenda deficere, ac fore, ut à tempore tandem superarentur: si verò orationi debito modo incumberent, spiritu se & vigore caelesti repleri ad ea quae muneris sui erant, exequenda.

Refert Seuerus Sulpitius S. Martinum Turonensem Episcopum tametsi diu noctuque cor suum semper ad Deum sustolleret, illum semper praesentem intuendo, & cum illo

agen-

DE ORAT. MENTALI. 63

agendo, ad orandum tamen & diu-
tius contemplandum, suum in tem-
plo locum separatam ac solitarium,
in quò ordinariè orationis causa se
recolligeret habuisse: & præter o-
rationem hanc ordinariam, sæpe o-
mnia Episcopatus munia penitus
deserere, & ad dies aliquot, in mo-
nasterium, quod duobus ab vrbe
milliaribus distabat, & in quo cellã
separatam habebat, in qua solita-
rius Deo vacabat, de què eodem cõ-
templabatur, conferre. Et tamen ad
Episcopatus munia plurimorũ gen-
tilium accederet conuersio, cui fan-
ctus ille totum se dabat, omnibus ce-
dere solitum, quò optatæ recolle-
ctiõni incumberet. Tantopere autẽ
Deo hoc placuit vt post illum ab
hac recollectiõne digressum, maxi-
ma miracula ederet, omnia quæ
agebat, maiori exequeretur effica-
cia. Cum quæ nullam humanam sci-
entiam adeptus esset, hoc tamẽ me-
dio tantam nactus est Sapientiam, vt
doctissimis quibusque ita præcelle-
ret, vt Seuerus, nullum se tantæ vi-
rum

64 FRANC. ARIAS CAP. VII
rum scientiæ aut sapientiæ loquen-
tem audiuisse testetur.

*Mense No-
uemb.* Beatissimus Hugo Lincolnien-
Episcopus in Anglia, vt refert in eius
vita Surius, etsi grauissimis vrgen-
tissimisq; muneris sui negotijs pre-
meretur; quotidie tamē per oratio-
nem contemplationemq; se recol-
ligebat; quoq; spiritum conserva-
ret, non satis illi erat ordinaria ora-
tio, sed quotannis, saltem semel, ab
omnibus se Episcopatus negotijs
expediens, ad aliquod Carthusiæ
Coenobium se conferebat, in quo
maxima mentis quiete, aliquot se
diebus oratione, contemplatione,
& cum viris sanctissimis ibi agenti-
bus de rebus spiritualibus collo-
quio, colligebat.

De S. Aquilino Ebroicensi in
Gallia Episcopo, cuius vndeicesi-
mo Octobris die festum celebratur,
Martyrol. Rom. 1. Su refert vitæ eiusdem auctor vir gra-
rius octo- uis, ipsum vt probè officio funge-
bri. retur, & animarum saluti efficaciter
incumberet, velut optimum ad hoc
medium selegisse, diligenter & exa-
ctè di-

66 FRANC. ARIAS CAP. VI

Dei seco ntemplationi Sanctorum
que mysteriorum meditationi tra-
dunt. Tum etiam quoniam in animi
lucem diuinam & quidem singula-
rem habent, hinc & recollectioni
student, in qua lux hæc ad contem-
plandum coelestia mirificè prodest.
sicut è contrà, qui diuina hac luce
destituti sunt, hanc quietem dete-
stantur & commercium hominum
mundanaque omnia diligunt, quòd
hæc luce illa exteriori quam habent
videant, atque vt puram in anima
lucè nò habent, qua cum voluptate
alia longè meliora videant, hinc di-
ligunt illa quæ vident, vt ijsdem de-
lectentur. Hasce rationes non mi-
nus subtiles quàm veras hic auctor
profert, ad declarandum cur viri
sanctissimi ad eò recollectionis fue-
rint studiosi.

Surin in Beatissimus Laurentius Dubli-
Novemb. nensis in Hibernia Archiepiscopus
orationi mentali deditus fuit quàm
maximè, & iam ad Archiepiscopatù
euectus, crescentibus negotijs, non
propterea in eadem vnquam refri-
xit,

P. VI
ctorum
oni tra
n anim
singula
ectioni
ontem
rodest
ac luce
o dete
ninum
quod
abent
nima
brate
c di
n de
mi
tor
viri
fue
oli
ous
am
tū
n
i-
s

DE ORAT. MENTALI. 67

xit, quin potius maiori se cōtentio-
ne eidem applicuit: nam præter vi-
gilia ordinarias, in quibus bonam
noctis partem contemplationi da-
bat, speluncam in loco sublimi &
folitario habebat, ad quem non nisi
gradibus & scala aditus patebat.
Huc aliquibus anni temporibus con-
cedebat, & quadraginta dies hic se
recolligēs, de rebus diuinis in quie-
te contemplabatur. Ac tum præter
panem & aliquot herbas nihil pe-
nitus gustabat: Episcopatus curam
interim Abbati cuidam affini suo
credebat, ac si quid tamen occurre-
ret, quod ipsius requireret præsen-
tiam, ad se referri volebat, & illi so-
li ipsum tunc adire ad communi-
candum cum eo fas erat. Laurentius
autem ex hac recollectione ingens
lumen & robur spiritus ad suos ad
Dei cultum promouendos collige-
bat.

B Vvolstanum Vigorniensem in *Surius in*
Anglia Episcopum refert in eius vi- *Ianuario.*
ta Braunius, vt se ad contempla-
dum cum Deo colligeret, in Episco-
patu

patu aliquot hinc inde cellulas cōstruxisse, ut si quando diæcesin obiret, loca secreta & separata, huius sancti exercitij causâ haberet, & hisce de die se includere ad cōtemplandum, noctu verò in oratione excubasse solitum. itaque factum ut Christum semper præsentem haberet, illiusque sanctitas eximijis miraculis illustris fieret.

Zenobius Episcopus Florentinus, quò diutiùs ac quietiùs contemplationi vacaret, urbem deserebat, & ad adiculam ab urbe sequestratam se conferebat, & aliquot hic diebus vitam agebat eremiticam. Atque huc se aliquoties sanctus Ambrosius Mediolano ad ipsum conferebat.

*Ioan. Arelus,
Surium in
Maio.*

S. Bernardus etsi varijs tum officij sui, tum vniuersalis Ecclesiæ, & aliorum singillatim, qui ad ipsum auxiliij gratia confluebant, occupationibus detineretur; saltus tamen ac deserta adibat, quo liberius quietiusque contemplationi vacaret, atque hinc se maiorem, quàm è continuo studio, sacrarum Scripturarum intel-

*Wilhel
in eius vi-
sa lib. 1. c.
4.*

ligen-

DE ORAT. MENTALI. 69
ligentiam & quam habebat scientiam, haurire fatebatur.

S. Franciscus (etsi tam numerofo ordini Præpositus varias ac plurimas occupationes haberet) tempora tamen captabat quibus, ab omni se cura liberando, montes ac loca solitaria adibat, quo meliùs se orationi daret, quod inuidus Satanas varijs horrendisq; tentationibus impedire studium cotendebat.

*Vita eius
lib. 1. c. 62.*

S. Dominicus, quamquam varijs premeretur negotijs, tempus, ac sæpè numero integras noctes ad contemplandum diuina seligebat, Theodoricus in vita eius
lib. 4. c. 9.
Taceo hic S. Ludouici Regis Galliarum, B. Elzearij Comitis Ariani, aliorumq; Principum sæcularium, Reginae item Radegundis (Lotharij Regis Galliarum vxoris & Hedvvigis Ducissae Poloniarum) aliorumq; similiu, exempla, qui quauis status haberet impeditissimos, tempora tamen & loca seligebant, in quibus & diutiùs & liberiùs sanctu orationis mentalis & contemplationis exercitium peragebant; atque hinc copiosissima à Deo gratia

70 FRANC. ARIAS CAP. VII.
tia tum ad perfectè muneris sui par-
tes implendas, tum ad vitam admi-
rabili cum pace & solatio, medios
inter labores ac negotia, transfigen-
dam; tum etiam ad claram & bea-
tam Dei, quem adeò dilexere, & in
terra agentes, toties contemplati
sunt, visionem in cœlo obtinendam
donati sunt. Quare si bonorum quæ
sancti hi à Deo gratis in terra acce-
pere, & gloriæ, cuius in cœlo con-
sortes facti, participare velimus;
illorum quantū possumus, studium
quod sancto huic exercitio impen-
derunt, imitari conemur, nullum
diem elabi sinentes, quin aliquam
saltem horam, aut tempus eidem
impēdamus. Interdum etiam à
negotijs totos nos expediamus,
quò anima penitus mysteriorum
fidei & vitæ Redemptoris, cuius hic
potissimum bonitas & sapientia e-
lucet, meditationi vacet: vt hic gu-
stare, & mundâ conscientiam, quod in
cœlo clarè videre & perpetuò frui
aliquando speramus, videre inci-
piamus.

CA-

DE ORAT. MENTALI. 71

CAP. VIII.

*De exteriori reuerentia in oratione
mentali necessaria.*

LICET ea quæ de loco ac tem-
pore diximus, magis sint ora-
tionem mentalem, quam vo-
calem agere volentibus necessaria;
quo ad exteriorem tamen reueren-
tiam parum inter se ambę differunt.
nam in vtraque anima se Deo sistit,
cum eoque conuersatur ac loquitur;
præterquam quòd in mentali, eò
quòd diuturnior est, forsàn æquius,
videatur aliquid de corporali labo-
re & contentione remittere: æquis-
simum nihilominus & rationi con-
sentaneum videtur, vt homo tem-
pore & loco ad orandum & medi-
tandum se disponens exterius, pro-
ut potest reuerentiam, infinitæ Dei
cum quo agit maiestati, debitã ser-
uet. Ergo interim dum orat, si possit,
apertum habere caput studeat: ita
namque id reuerentia & humilitas
Christo Domino, qui cum loquitur,
& cui se sistit orando, vt suadet D.

Bona-

In specul. discipl. c. 25. Bonaventura, debita exigit. Caput
porro apertum subiectionem & ob-

edientiam, quæ Christo capiti de-
betur denotat. Nec verò mirum cui-
quam videatur, ad hoc nos præce-
ptum aliaque minuta singulatim de-
scendere, cum Apostolus Paulus
ipsum velat serium quid & ad cul-
tum Dei & Ecclesie ædificationem
imprimis necessarium, Corinthi-
is

1 Cor. 11. tradat, dicens, *Omnis vir orans aut
prophetans velato capite deturpat
caput suum spirituale quod est Chri-
stus. & non debet velare caput suum,
quoniam imago & gloria Dei est. cui-
us rationem rei reddens glossa ait:*

Gloss. ibid. Quòd alio tempore vir caput ope-
riens inter orandum aperiat, ratio
est, quòd inter orandum se iudici fi-
stens cum ipso loquatur, atque ita
orando conditionem suam, quòd
scilicet ad imaginem Dei conditus
in omnibus illi subditus esse debeat,
profiteatur oportet. Tamen si autem
de illis loquatur Apostolus qui in
templo publicè orant, eadem tamè
est, de eo qui orat priuatim, ratio, cū
nulla

DE ORAT. MENTALI. 73

nulla sit quæ excuset causa. Cùm enim huius causa sit ipsa reuerentia, quæ Deo debetur, quòd inter orandum is compelletur, & videntium ædificatio atque exemplum etiam Deo priuatim orando eadem reuerentia debetur, & non minus hic ædificandi sunt videntes, licet, quando priuatim oratur iustiores subesse causæ queant, cur nulla sit irreuerentia aut fraudalizatio proximi, operto orare capite. at vbi huiusmodi causæ non subsunt, consentaneum videtur, vt hac etiam cum reuerentia oratio priuata fiat.

Quantum autem ad corporis situm spectat, qui ratione ætatis aut prædebilitate corporis in oratione perseverare nequeunt, neu quietè eandem peragere, nisi sedeant, iustam sedendi rationem habent. at videant, vt ea sit sedis humilitas ac demissio, vt ea ipsa voluntatem reuerenter se gerendi, ac non quiescendi, sed melius orandi gratia se sedere testetur. Qui verò ætatè & vires habet, & firmo sūt corpore, dent operã, vt genua
D fl. ctant,

flectunt, aut in pedes consistunt, quod duo situs reuerentiam insignem testantur, & in Ecclesia sunt usitati. Dionysius Carthusianus in hac materia multum versatus, situm ad orandum aut meditandum aptissimum esse vult stationem. Diuus Bonauentura autem ad orationem, quod per affectum amoris ad Deum anima ascendere vult, ei que se vnire, aut esse necessarium aut stare, aut genua flectere, & omnium conuenientissimum iudicat, rectum consistere, ut corporis situs animæ intentioni cooperetur. Vocat autem id ipse necessarium, quod permagni refert & cōsentaneum est. At quando oratio futura est diuturnior, illos qui genua flectunt, aut erecti consistunt (vt diximus,) par etiam est, cubiti aut pectore rei alicui firmæ niti, ut ita quieti orationem peragere queant. Nam quamuis oratio cum reuerentia decurrenda sit, ita tamen fiat oportet, vt anima quieta & ijs que meditatur attenta sit. Si verò quis flectendo stando que notabilem molestiam

De con-
templ. lib.
1. art. 24.
In mysti-
Theol. c. 3.
par. 3.

DE ORAT. MENTALI. 75

llestiam aut laborem sentiret, in causa esset, cur ipsa inquieta foret aut turbaretur, atque ita benè meditari non posset. Proinde medium accipiendum est, ut scilicet flectens aut stans innitatur alicubi, aut solo se affigat prostratus, aut alium humilitatis indicem situm induat, ut debita cum reuerentia coram Domino agens, cum quiete & serenitate mentis orare & diuina mysteria meditari queat.

Dicet forsan non nemo, parum exteriorem corporis reuerentiam referre. Sed errat; nam quamuis precipua reuerentia & religio in anima consistat, & si homo plura præstare nequeat, hæc sufficiat; tamen etiam necessaria magnique momenti & utilitatis est ipsa corporis reuerentia si & illâ habere quis possit. Primum quidem, quod, teste Chrysofomo, anima plurimum per habitum & positionem exteriorem corporis moueatur & plerumque à corpore bona & mala ipsi animæ dispositio accedat; ut alibi virtutem humilitatis

*Metaphra,
in eius vi-
ta.*

In libello de imitat. B Virg c. 6. tis exterioribus actibus & exercitijs humilibus corporis parari diximus, ita reuerentia exterior corporis ad interiorem animæ reuerentia multum adiuuat. Adhæc, cum corpus humilitatem & reuerentiam oratione præfert, indicat, & animam humilem ac reuerentem esse; una namque dependet ab altera. Et propterea exterior in orando reuerentia, ad proximi, qui sola exteriora intuetur, ædificationem mirificè conducit, qui si nullam in orante humilitatem aut reuerentiam exteriorem videat, nihil omnino videt, quod ædificet: quin imò parum deuotionis & reuerentiæ subesse in animo qui non videtur credit, quando in exteriori quod videtur, ea deest. Adhæc, quoniam corpus hominis non minus Dei creatura est, quam anima, & in exterioribus istis motibus libero arbitrio obnoxium est, & libertatis particeps; hinc Deo tam hunc quam illum cultum, & tam corporis quam animæ debemus reuerentiam. Quapropter maximè

con-

VIII.
ercitij
ximus
oris ad
mul-
corpus
a ora-
imam
s vna
t pro-
eren-
riora
rificè
e hu-
erio-
idet,
de-
in a-
uan-
de-
omi-
quã
oti-
, &
eam
am
re-
mè
on.

DE ORAT. MENTALI. 77

cōsentaneum est, vt anima illum in-
terim dum oramus venerantes, ve-
neremur & corpore, cum & hanc
Deus exigat reuerentiam, eaq; miri-
ficè oblectetur, ac multum apud eius
maiestatem promereamur, quando
cum veræ mentis pietate corpus et-
iam coram ipso prosternimus & hu-
miliamus.

Considerandum adhæc, sicut ve-
ra animæ deuotio, & præcipuus quæ
oratione speramus fructus, speciale
Dei donum est, ac donum quidem
maximum, & dignissimum, quodq;
omnes hominis vires naturales ex-
cedit: quando hominem inter oran-
dum conari ipse videt, quod natu-
ralibus eius viribus conformius est,
quodq; facilius exequi potest, qua-
lia sunt exterior corporis reueren-
tia & humilitas, aliæq; loci & tem-
poris circumstantiæ; tunc ipsius ho-
nitatem & misericordiam, ad prin-
cipale ac primarium, quodque à na-
turalibus hominis viribus non de-
pendet, qualia sunt deuotionis gra-
tia, lux, & diuini amoris suauitas,

quæ supernaturalia & diuina dona sunt, quæ dat ijs, qui illius gratiâ magis se disponunt, concedendum ueri. Atque hoc est, quod in Euangelio Dominus ait. *Omni enim habebitur, & abundabit*: id est, qui quæ habet rectè utitur, & quæ potest iuxta vires suas agit, & diuino cooperatur auxilio, gratias ei Deus dona augebit: qui uerò in ijs quæ potest, negligens fuerit, etiam ipsa quod habet, illi auferetur. Cõsiliu hoc de exteriori in oratione adhibenda reuerentia, & diuina misericordia, quæ hoc modo acquiritur, benè sigillatimque exposuit *Cassianus* Arelatensis Episcopus his uerbis. Qui orat, nisi corporali infirmitate impediatur, videat, ne negligentia & inertia se humiliare oblitiscatur, genu flectendo, & in terra se prosternendo: qui autem præ infirmitate flectere non potuerit, caput inclinet, & cogitet, hac publicanum, qui oculos in cœlum sustollere nõ audebat, sed à longe suas caput deiiciebat & pectus feriebat,

humili-

*Hom 30.
in bibliot.
Sacra.*

DE ORAT. MENTALI. 79

humilitate misericordiam à Deo
impetrasse. Et profectò, is suorù pec-
catorum grauitatem prout oportet
non sentit, qui cùm potest, se non
prosternit nec inclinat in terram,
quo eorum veniam consequatur.
Hæc quidem Cæsarius. Atque hic om-
nium Sanctorum, vti mox videbi-
mus, spiritus fuit.

CAP. I X.

*Sacra scriptura auctoritatibus &
Sanctorum exemplis, quanti reue-
rentia hæc exterior referat, confir-
matur.*

ETSI fideles omnes norint &
fateantur, bonum esse, oratio-
nem, tum vocalem, tum men-
talem exteriori hæc reuerentia ex-
ornare; tamẽ, quòd particulare Dei
donum sit, quod sanctis suis ille cõ-
municare solet, nosse quanti hoc ad-
ritè orandum & ingentes à Deo gra-
tias & misericordias obtinendas,
referat & conducatur, consentaneum
visum est hanc veritatem illorum
exemplo confirmare, quos vt tales

Exod. 17.
34.

facra describit scriptura, & Re-
colit ecclesia. Moses Deum in mo-
te Sinai oraturus, cecidit se in terra
pronus prosternebat. Is ipse adus-
sus Amalecitas oras, rectus, sublat
brachijs, donec defatigaretur stes-

2. Reg. 12.

David rex orationem peracturus, a
ij s fec. ssit, & in terra prouolutus
est. Salomon etiam genibus in ter-
ram positus orasse legitur; Dani-

3 Reg 8.
D. n. 9.

quoque non aliter nisi flexo poplite
orationem fecisse scribitur. Minu-
tim hoc sacra Scriptura, velut quod
ad reuerentiam & cultum diuini
spectans, ac velut circumstantiam
ad rite orandum maximè necessar-
notat. Quibus autem verbis dignè
reuerentiæ illius exterioris exem-
plum, quod Christus Dominus no-
ster orando præbuit, exponemus.

M. 11. 26.

Grans in horto, in genua dicitur
prouolutus, soloque prostratus, &

M. 16. 14.

veltu in terrâ verso Patrem rogasse.

Luc. 22.

Illius aut in horto orationē referre
Euangelistæ, docere volunt, id-
ipsum & alias, cum ad montes orati-
onis ergo cōcederet, facere, quando
locus

P. IX
& Rot
in mot
n terra
e adue
sublat
ur ster
urus, a
uoluta
in ter
D an
oplu
Mino
at qu
minu
triam
at. a
digne
xem
s no
mus
citur
s, &
alle,
re
idi
ati
ndo
ocus

DE ORAT. MENTALI. 81

loc^o ac tēp^{us} sinebāt, solitū: nā semper eandē quā in horto oltēdit, erga Patrē eēlestē reuerentiā obseruauit.

Domini exemplo eandem reuerentiam inter orandum adhibere soliti sunt Apostoli. Petrus Tabitam resuscitaturus, mansit solus, & genu flexo se ad orandum composuit; Paulus quoque Epheso discedens, cum senioribus omnibus genua in terra flexit, itaque Deum deprecatus est. Stephanus, interim dum lapidibus obruebatur, orabat pro lapidantibus flexo in terrā poplite. Apostolum Iacobū Minorem, Ierosolymæ Episcopū tam saepe orare flexo genu solitum refert Hieronymus, vt callū pellis contraxerit camelina durior.

*Act. 9.
Act. 20.*

Act. 7.

*Lib. de vi-
ris illustr.*

Hocce secuti sunt & reliqui sancti exemplum. D. Antonium tradit Athanasius, integras noctes flexo genu in terra orare cōsueuisse. Magnū Polychronium scribit Theodoretus, etiam decrepitum, integris noctibus erectum orare solitum, & suis apud Deum precibus obtinuisse; vt duo viri magni, Dei que serui,

*In hist. re-
lig c. 24.*

D s qui

qui ad ipsum venerant, cum in illius exemplo integra nocte erecti stantesque orare non possent, illi in contubernio hærentes, tandem moti, diuina succurrente gratia, præstiterint. Beatus Dominicus orandum contemplandumque, genua flectebat, soloque se prosternebat, & reuerentia exteriori animæ pietatem excitabat. Tradit S. Bonaventura, Minorum Patrem Franciscum, ut oraret & horas Canonicas recitaret, reuerentiam exterioris corporis cum interiori animæ iungere solitum; & ipsum licet ægrum, horas non sedentem, sed stantem, rectum, apertoque capite, nullam in partem inclinando recitasse. Si quando iter ageret, & hora recitandi officij aduenisset, ad ipsum cum animi se tum corporis quiete parasset, & licet tempore pluuio peregrinaretur, & festinato opus esset, non tamen propterea incedendo iterque eadem opera perficiendo officium recitare voluisse, at iter, donec horas decurrisset, interrumpere solitum.

*Lib. 4. vi
3^a cap. 9.*

Vita c. 10.

DE ORAT. MENTALI. 83

suumque factum hac probasse similitudine: Stamus, inquit, & quiescimus, quò maiori commoditate cibum corruptibilem, & in vermes & putredinem, vti corpus ipsum, cõuertendum sumamus; an non ergo consentaneum, vt, quò & anima refectione quæ vitam afferat, pascatur, quiescamus.

S. Vincentius Ferrerius, etsi diurnis concionum laboribus defatigatus, noctu tamen dum se orationi ^{Vincent.} dabat, & horas Canonicas, sæpe et ^{Iustinian.} iam integrum Psalterium legeret, ^{in vita.} genu flectebat, & exteriori hac reuerentia orationis tempus transigebat. S. Edmondus Archiepiscopus ^{Surius} Cantuariensis, mysteria vitæ Christi ^{Novemb.} meditaturus, & horas Canonicas recitaturus, nudo flectebat genu, donec durissimo callo disrupta pelle ^{Bernard.} sanguis prorumperet. Beatus Lau- ^{Iustin. in} rentius Iustinianus, Patriarcha Ve- ^{ciæ vita.} netus, magna reuerentia stans, nullamque in partem inclinans orabat & horas legebat. Beatus item D. N. Ignatius septem continuò horas

D 6 diui-

§4 FRANC. ARIAS CAP. I

*Ribade-
neira in
vita Lat.
lib 1. c. 2.
lib. 5. c. 1.
in prima
edit.*

diuina mysteria contemplans
tebat, et si iam senior, & vitæ su-
rioris laboribus fractus, interdum
quò Dei pulchritudinem, coele-
stellis depictum intuens contem-
plaretur, humili in sede se collo-
ret Sanctus Ferdinandus de Talan-
ra Archiepiscopus Granatensis (re-
ferente Petro de Vega Genera-
Hieronymianorū) non modò hono-
Canonicas magna reuerentia recita-
tabat, vt qui cum Deo loqueretur,
sed etiam Clericos admonebat, ne,
quando priuatim horas Canonicas
recitarent, sedendo eas, sed erecti &
stantes, ob reuerentiam quæ Deo
debetur, decurrerent. Quam ijs re-
gulam non præscripsit dum in cho-
ro simul horas recitant; nam ibi vi-
mus alteri se conformare debet, & a-
lia à stantibus, alia à sedētibus reci-
tanda sunt, vtimos obtinet. nam nec
oēs erectos & semper aperto capi-
te, stare ipsa temporis finit prolixi-
tas, nec multorum imbecillitas. Ac
proinde ibi satisfaciunt, si quantam
possunt, alias reuerentiam seruēt, &
ea cum

DE ORAT. MENTALI. 85

ea cum attentione, & silentio ibi versentur, quale tam sublime requirit mysterium quod scilicet ibi, totius Ecclesiae nomine, & velut legati & ministri eius, cum Deo, de mundi redemptione agant ac loquantur.

Omnia haec praecclare tangit Concilium Treurense, quod ad orantes & horas in choro recitantes sermonem dirigens ita loquitur, Decernimus, ut laudes diuinæ suis horis non festinanter, non praecipitanter, sed tractim, animoque, quā fieri potest attentissimo, & reuerentia & gaudio spiritus decantentur. nam voce in Ecclesia cantare, & corde per plateas locaque publica vagari, quid est aliud quam hominibus imponere, ridere Deum? Interim verò dum publicè in choro horæ dicuntur, nemo assistentium alijs occupetur rebus, velut in libro priuatim legendo, aut horas priuatim recitando, sed cum ceteris cantet, Deumq; laudet. Qui verò secus egerit, velut absens habebitur; id est, quemadmodum sancti huius operis fructum

*Concil.
Treu. c. de
hor. Cano.
in tom. 4.
Concil.*

86 FRANC. ARIAS CAP. II
qui à deuotè scilicet in choro can-
tando recipitur, perdit, ita perdit
& distributiones, sicut eis careat
absentes. Dein ad reliquos Ecclesie
ministros, qui orant, & horas in par-
ticulari legunt, sermonem conuer-
tens ait. Qui extra chorū horas recita-
tāt, caueant ne easdem negligenter
decurrant, aliquot verba absumen-
do, sed easdem distinctè, perfectè
singulaque attentè pronuntiantes
dicant. Ne verò in debita attentio-
ne & reuerentia peccent, strictissi-
mè inhibemus, ne ambulantes ead-
dem euoluant, sed in loco aliquo
idoneo aptoque ad orandum se col-
ligant suademus; ne distractio & e-
uagatio, quæ ex deambulatoria hac
recitatione sequi solet, orationis
eos fructu priuet. Hactenus concilij
verba. Hæc autem aliaque innumera
testimonia & exempla Sanctorum
(nam omnes in hoc, sicut & in reli-
quis ab eodem Spiritu coelesti dire-
cti sunt) docent, quanti exterior in
oratione tum vocali, tum mentali
reuerentia, velut quid singulariter
pie-

DE ORAT. MENTALI. 87

pietatem internā promouens, Deum
mirificè glorificans, & proximum
ædificans facienda sit, suadentque,
vt iuxta corporis dispositionem, sa-
nitatem ac vires simili quisque cum
reuerentia sacra hæc Domini
nostri Iesu Christi myste-
ria recitare & me-
ditari cone-
tur.



PARS